



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thomæ A Kempis Canonici Regvlaris Ord. S. Avgvstini De Imitatione Christi Libri Qvatvor

Thomas <von Kempen>

Antverpiæ, 1617

Cap. XVIII. Quòd temporales miserïæ exemplo Christi, æquanimiter sint
ferendæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45760](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45760)

& pauper, sicut plenus & diues.

Iob 2. 3 Domine, libenter patiar pro te, quidquid volueris venire super me. Indifferenter volo de manu tua, bonum & malum, dulce & amarum, lætum & triste suscipere: & pro omnibus mihi contingentibus, gratias agere. *Pf. 22.* Custodi me ab omni peccato, & non timebo mortem nec infernum; Dummodò in eternum me non proicias, nec deleas de libro vitæ: non mihi nocebit, quidquid venerit tribulationis super me.

CAP. XVIII.

Quòd temporales miseria, exemplo Christi, equanimiter sunt ferendæ.

Ioan. 3. **F**ILI, ego descendi de celo, pro tua salute: suscepi tuas miseras, non necessitate, sed charitate trahente: vt patientiam disceres, & temporales miseras non indignanter ferres. *Luce 2.* Nam ab hora ortus mei, vsque ad exitum in cruce, non defuit mihi tolerantia doloris. Defectum rerum temporalium, magnum habui: multas querimonias

monias de me frequenter audiui: confusiones & opprobria benignè sustinui: pro beneficiis ingratitude[m] recepi: pro miraculis blasphemias, pro doctrina reprehensiones.

2 Domine, quia tu patiens fuisti *Ioan. 5.*
 in vita tua, in hoc maximè, implendo præceptum Patris tui: dignum est, vt ego misellus peccator, secundùm voluntatem tuam patienter me sustineam: & donec ipse volueris, onus corruptibilis vitæ, pro salute mea portem. Nam etsi onerosa sentitur præsens vita, facta est tamen iam per gratiam tuam, valdè meritoria: atque exemplo tuo, & Sanctorum tuorum vestigiis, infirmis tolerabilior & clarior. Sed & multò magis consolatoria, quàm olim in Lege vetere fuerat, quum porta cæli clausa persisteret: & obscurior etiam via ad cælum *Mat. 7.*
 videbatur, quando tam pauci regnum cælorum quærere curabant. Sed neque qui tunc iusti erant & saluandi, ante passionem tuam, & sacræ mortis debitum, cæleste regnum poterant introire.

3 O quantas tibi gratias teneor refer-

referre, quòd viam rectam & bonam dignatus es mihi & cunctis fidelibus, ad æternum regnum tuum ostendere? Nam vita tua, via nostra: & per sanctam patientiam, ambulamus ad te; qui es corona nostra. Nisi tu nos præcessisses & docuisses, quis sequi curaret? Heu, quanti longè retroque manerent, nisi tua præclara exempla inspicerent. Ecce, adhuc tepescimus, auditis tot signis tuis & doctrinis: *Heb. 12.* quid fieret, si tantum lumen, ad sequendum te, non haberemus?

CAP. XIX.

De tolerantia iniuriarum, & quis verus patiens probetur.

Heb. 12. **Q**UID est, quod loqueris fili? Cessa conqueri, considerata mea & aliorum Sanctorum passione. Nondum vsque ad sanguinem restitisti. Parum, est, quod tu pateris, in *Heb. 12.* comparatione eorum, qui tam multa passi sunt, tam fortiter tētati, tam grauius tribulati, tam multipliciter probati & exercitati. Oportet te igitur aliorum grauiora, ad mentem reducere, vt